

Letter 389: 10 May 1529, Aigle, Guillaume Farel to Capito

Printed in Herminjard 2, pp. 177-80 (# 257).

Salutem, gratiam et pacem a Deo, qui suam lucem plenior et illustriorem immitat mundo, ne in digitos, manus, pedes, oculos, nares, aures, brachia, cor quod unum est, discindatur, et quae in rebus est varietas principium non faciet multiplex!

5 Legi quae tanto labore collegisti de Judeorum sepultura. Digna sane tam a veritate aberrantibus superstitio, quae, cum vana sit, vanitatem et impietatem idololatrarum damnat! Est quod tibi gratiam habeam pro isto labore, quem scio tediis plenissimum fuisse, ac de libello, in quo legi quod jubebas, subolfeci magis quam percepi quae tractas. Mirum de argutis sectoribus quod amplius non sunt progressi. Cellarius noster nodum nobis dissolvit et planissime. Quantum orbi tenebrarum irrepsit contemptu Scripturarum, imo pietatis et Dei! Quae lux adfulgeret, si gloriae Dei omnes studerent, et charitati erga fratres. Verum conculcantes pascua et aquas turbantes male fratres impetunt. Omnes componat Dominus!

10 De Christophoro quid scribam, non novi. Magnus et mollis venter paucis et duris facile placari non potest. Ad menses tantum duos se hic acturum receipt, suam deplorans cucullam, lubens (ut ait) repetiturus, forte fortuna, ut arctius eum observantes nobis devinciamus, aut re vera illam appetit. Nulla invenio signa candidi pectoris. Amandatus fuit in pagum nobis vicinum. Literis tantum convenire hominem possumus, raro coram loqui. Pater qui omnia potest cor et mentem ita agat, ut totus Evangelio serviat! Si aliud commodi non reportamus, saltem hoc, quod lupum hac via profligatum cernimus. Gulielmus, Margaritae maritus, huc se contulit, pro Christo sollicitus, strenue verbum praedicans. Laborant et alii fratres, et audio vicinos appetentes esse ministrorum verbi, sed varie adfluctus non audeo invitare quemquam. Tantum precor Patrem ac messorum Dominum, ut operarios extrudat, quod facile faciet, ubi [quis] ad mortem usque laborans nihil promovere posset.

15 Audivimus Petrum Tossanum evocatum esse a Metensibus. Gauderemus si fructus aliquid proferret illic, Christum praedicans. Nam apud Francos quid promovere possit non satis video, sub tam insano capite, qui passus est interdici plebi Novo Testamento, ut nulla supersit via veritatis agnoscendae, neque libris, neque aliis commonstrantibus. Pater novit quae in sua habet potestate momenta. Huic nemo resistere poterit, quin sua perficiatur voluntas, quam plenius cognoscere det suis, eamque perpetuo sequi!

25 Vale, mi Capito, et quod semper facis, paci et concordiae stude, ut amico Christi spiritu singula suo tempore in lucem prodeant. Vides quam multi sint zelatores non legis, sed externarum rerum ac traditionum, qui Christo credunt, quorum habendam esse rationem satis scis. Cum Dominus coelum aperuerit non tanta erit super aqua et pane contentio, nec super gramine (sic), solutaque obsidione viliora erunt alimenta. Faxit cito Dominus ut sua scientia totum inundet orbem! Saluta Cellarium cum operariis; iube et conjugem tuam cum familia salvere. Aquileiae, 10 maii 1529. Salutant te fratres et noster Claudius non postremum.

35 Tuus Farellus.